

ci, sed & absurdi patentissimi: cum Veteris Testamenti Patres eo reſici Sacramento repugnet, quo novum Christus Dominus condidit Testamentum. Quid ni quoque, si superis placet, sacro Baptismate tincti dicuntur Elias & Henoch, ut Eucharistia percipiendi idonei fierent? Quid ni novæ legis Sacerdotio initiati finguntur; cum illos omnes Sacerdotio Christus Dominus initiarit, qui commensales illi aderant in Cœnaculo? En in quantas angustias somnia ista nos ducunt, si ea velimus imprudenter excipere.

Haud ita temere vidit, scripsitque de Deipara Virgine, pia ceteroquin Abbatissa, dum illam, eadem quidem in domo, alio tamen Cœnaculo, cum piis religiosisque mulieribus, quæ Christo de suis facultatibus ministrabant, oclusam dixit, legalem Cœnam, seorsim a viris edentem: ad quam tamen Eucharisticum panem per Angelum Dominus miserit; ut & ipsa novi Sacramenti particeps fieret. Ea quippe duo, pie ac religiose meditati sunt aliqui. Primum quidem Simeon Metaphrastes, Oratione de vita Deiparæ: Alterum, quod præcipuum est, quodque hic maxime queritur, Barradius Tom. 4. lib. 1. Cap. 17. & Glossator Oratorum Georgii Nicomedienſis, de Statione Sanctæ Mariæ ad Crucem: nisi quod Eucharisticum panem non per Angelum, sed per Petrum Apostolum, a Christo ad Matrem transmissum dixerit. Affentiri tamen piæ meditationi non possum: ob silentium in primis Evangelistarum, qui cum sacra Cœnæ apparatus omnem, Christique in ea gesta omnia referant diligenter, nihil hujusmodi vel leviter innuunt. Tum ob contrariam Patrum veterumque Scriptorum testificationem: qui cum singularia Apostolorum privilegia a Christo excepta, sæpenumero referant; illud maxime notant, quod si soli, in eo sacro convivio, Dominici corporis participes sint effecti. Quod autem Georgii Nicomedienſis Glossator ex illo recitat, unde in piam illam meditationem adductus est: *Solos secum duodecim scivit recumbere: Matrem autem scivit habere curam Mulierum que ministrabant, ac eis præesse; ejusque opera, suo eis convivio vicissim imperavit*: Id, inquam, non illud sonat, quod pii meditatores commentantur: Christum scilicet Eucharisticum panem, per Petrum Apostolum iidem imperavisse: sic enim non Matrem solum, sed & reliquas cum illa mulieres Eucharistico pane reſectos dicere oporteret, quod nemo finxit hactenus: Sed Christum utrum maxime, vulgares illis cibos, quibus & ipsæ Moſaicam Cœnam agerent, e sua mensa submisſisse. Quamquam si alius Georgio Nicomedienſis sensus esset, tanta non est ille auctoritate ac fide, ut rem omnibus retro sæculis ignoratam, probabilem faciat.

Sed erat, inquit, Virgo Mater eo honore ac beneficio dignissima. Fateor: at si dignitatem spectas unice, quid ni Virginem Eucharistica mensa, inter Apostolos, ac super Apostolos recumbentem, sacro Calice recreatam, adhuc etiam Sacerdotem initiatam effutis? Namque & eo erat honore dignior, Apostolis universis. In his ergo non est personarum spectanda dignitas, sed Christi voluntas: qui in instituendo legis Evangelicæ Sacramento, & Sacrificio, eos tantum ejusdem participes fecit, quos & ministros instituit. Quo in ordine, nec sanctissimam Matrem, titulis licet omnibus ac meritis præcellentem, nec ullam e sexu femineo collocari voluit.

IX. Necdum tamen fati est fabellarum. Deiparam Virginem Eucharistico pane, in ultima cœna reſectam fabulari, haud fati Agridentis Abbatissæ visum est, nisi altero quoque beneficio donatam diceret, omnibus retro sæculis inaudito.

Quodnam illud? Audi: *Dum sacra Communionem Maria reſecta est, species Eucharistica, ad alteram ejusdem Communionem, integræ & incorrupte permanserunt: (quod ita deinceps toto vite decursu factum est) ut semper presentis Christi corpore frueretur. . . . Quod ut commode cederet, susceptæ species Eucharistica, e stomacho, communi coquendum ciborum officina retraherentur, ne reliquo cibo admixta corrumperebantur; & ad eam Cordis partem transferebantur, unde paucula illa sanguinis guttule expressæ olim fuerant, quibus Christi corpus in Incarnatione, a Spiritu Sancto compactum est.*

Gratulor ingenii felicitati, quæ tale tantumque prodigium, ad Virginis decus, comminisci potuit. At miraculorum fitiores cautos esse oportet, ne quod una fabricator manu, altera destruant. Dic itaque, rogo te, Annon ad cor translata species Eucharistica, intra breve tempus, nativo Cordis calore perinde corrumperebantur? Quid ergo, ne corrumperebantur, illo translata comminisceris. Reponet forte, miraculo etiam factum esse, ne illic posita corrumperebantur. At si sic est, quid eas illo transferri necesse fuit, cum pari quoque miraculo fieri divinitus potuisset, ut relicta in stomacho, incorruptæ & integræ fervarent? Alio laborat incommode figmentum illud, cui non nisi aliis miraculis possis occurrere. Dum enim Eucharistico pane secundo reſecta est virgo, priusque, ut coacerdis, species Eucharistica ad cor deductæ, corruptæ sunt; quid tum quæso de illis actum? Nec enim illic corruptæ relictae sunt: sic enim successu temporis suffocasset innocentem. Aut ergo ad nihil a Deo redactæ sunt, novo utique edito miraculo: aut ad stomachum secundo deductæ sunt, ut in naturale corporis alimentum cederent: quod non nisi per miraculum fieri potuit. En quot tibi sint fingenda miracula, toto etiam vite decursu continuata: Cum id toties factum dicas, quoties Eucharistico pane reſecta est Virgo Mater.

Sed & qui Virginis decori & gloria, fidelis illis prodigiis consultum putant, videant an fati Communionis Eucharisticae veritati consultum eant. Cum enim Christus Dominus Sacramentum hoc sub specie cibi corporalis instituerit, ut per speciem Corporalis alimentum, anima Spiritualiter nutriatur; vera propriaque communio nequit fieri, nisi quæ species ore sumuntur, re ipsa uti cibis & alimentum recipiantur. Species autem quæ non in stomachum trajiciuntur, illic coquendæ ac digerendæ, sed ad cor, aut juxta cor transferuntur, locum certe digestioni minime destinatum, non sumuntur uti cibis & alimentum: non itaque tunc veri propriæque nominis communio fit. Ad eum sane modum, quo nec vera Christi generatio facta fuisse in Virgine, si Corpus ejus non in utero, sed in corde, loco utique ad futuram a natura minime destinatum, formatum esset ac forum. Quod alibi adversus Petri Lucensis errorem demonstravimus. En quam imprudenter Communionis Eucharisticae veritati in Virgine refragentur, qui summum illi decus addere, fictis prodigiis adnuntiant.

X. Quæstio ultima de loco peractæ Cœnæ facilius expeditur. Vitandus in primis Nicephori lib. 1. Hist. Cap. 18. & Cedreni in Compend. Hist. spissus error, peractam Cœnam ultimam scribentium in domo Joannis Evangelistæ. Repugnat etenim Lucas apertissime Cap. 22. ubi Joannes ipse Evangelista una cum Petro missus dicitur, ad quemdam hominem Patrem-familias, ut in illius domo Cœna pararetur. Alius igitur a Joanne Evangelista erect ille; & quidem paterfamilias, qualis profecto nunquam fuit dilectus Apostolus. Sed & Joannem domum habuisse Je-

rosolymis, non est verisimile: (quidquid in oppositum obrudat Apollinaris, ineptus verificator, Auctor Tragediæ de Christo patiente) quippe qui ex eorum numero erat, qui Petri ore Christo dixerit, *Ecco nos reliquimus omnia; & secuti sumus te*: quod in Joanne specialiter locum habuisse, notat S. Augustinus Trad. 119. in Joan. & S. Ambrosius in Exhortatione ad Virginitatem; eundemque nec prædia, nec possessiones habuisse. Quare ex nominum æquivoco natum errorem illum existimo. Patrum quippe constans sententia est, factam Cœnam in domo Joannis cognomento Marci: non quidem Evangelistæ, qui simpliciter Marcus vocabatur, eratque patria Lybicus Cyrenæus, ac Petri discipulus; sed Joannis, ut dixi, cognomento Marci, filii Mariæ, Barnabæ confobrini, atque discipuli, cujus mentio fit in Actibus Apostolicis Cap. 12. & in Epistola ad Colossenses Cap. 4. In qua quidem Marci domo latitarunt Apostoli post Christi Domini necem, seque Christus resurgens Apollolis primum ostendit. Illic etiam orantes Apostoli illabentem Spiritum Sanctum acceperunt die Sacro Pentecostes. Illuc demum Petrus ex Herodis carcere liberatus sese recepit, & Fideles orantes invenit: ut habetur in Actibus Cap. 12. Quibus de causis hæc ipsa domus tot titulis nobilitata, prima omnium in Templum conversa creditur, & Ecclesia Sion communiter dicta. In illius porro Cœnaculo facta est Cœna ultima, seu in loco quodam eminenti, quem & Solarium nuncupabant, cœnis faciendis destinato, unde illi Cœnaculi nomen ad hæc.

XI. Christum, ejusque Discipulos Cœnam agentes discubuisse notant Evangelistæ omnes: nempe pro more illius ætatis, tam apud Judæos, quam apud Romanos recepto. In tricliniis enim, seu lectulis menſalibus prædentes, ac cœnantes discumbebant cubitis innixi. Ex quo ritu phrasid illa invaluit, etiam apud nos ultata, *discumbere*, & *accumbere mensis*: etsi non accumbamus modo, sed sedeamus scammis, atque sedilibus. Hinc facile intelligimus, quo pacto Joannes Apostolus dicatur *supra pectus Domini in Cœna recubuisse*: nempe cum proximo Christo mensæ accumberet in triclinio, facile illi fuit, caput in Christi sinum inclinare. At si in scammis, aut sedilibus, ut hodie fit, sedissent ambo, vix alter alterius in sinu recumbere potuisset. Hinc pariter intelligimus, quomodo Maria Magdalena, stans vero secus pedes Domini mensæ discumbentis, apud Simonem Phariseum, potuerit lacrymis rigare pedes ejus, & capillis capitis sui tergere, ut in Evangelio legimus. Christus enim in triclinio pro more recumbens, pedes in eam altitudinem compositos habebat, ut a pœnitente retro stante facile attingi possent. Quare castiganda venit pictorum ignorantia, qui seu pingant ultimam Christi Domini Cœnam, seu datum illi prandium a Simone Phariseo, penicillo nobis adumbrent; omnes mensas affidentes representant: quodque culpandum magis, Magdalenam ad pedes Jesu prostratam effingunt; quam tamen in eo gerendo pietatis officio stetit retro, memorat Evangelium, Lucæ 7. v. 38.

At nonne, inquiet aliquis, sin minus sedentes, (quod ab illius ætatis moribus abhorrebat) at certe stantes verius, quam discumbentes Christus, ejusque Discipuli Cœnam ultimam celebrarunt? Sic enim, ut Agnus Paschalis comederetur, præceptum erat, Exodi Cap. 12. v. 11. Sic autem comeditis illum: renes vestros accingetis, & calcamenta habebitis in pedibus, habentes baculos in manibus: & comedetis festinanter. Quæ non nisi a stantibus observari commode possunt. Nec Chri-

stus, ejusque Discipuli præceptum violasse putandi sunt. Responſio in promptu est: Christum ejusque Discipulos modo stare, modo discumbere potuisse pro varietate ciborum. Duplex enim, ut monui, Cœna peracta est; Judaica nimirum, & Christiana: nec modicum inter utramque effluxit temporis intervallum. Quidni quoque cum Baronio dicamus, ritum illum comedendi Agnum Paschalem pedibus stando, jam a tempore exilii Babylonici fuisse intermissum, ac penitus antiquatum. Quod ille ex Rituali Hebræorum libro perverſo liquere ait. Imo non desunt, qui illud Moysi præceptum, ad primi Paschatis observationem, in Ægypto tantummodo pertinere velint: quod tunc tantum festinatione opus esset, Judæoque congrueret, lumbos esse accinctos instar Viatorum. Nihil est ergo, cur Christum, ejusque Discipulos stantes comedisſe concedamus.

EXERCITATIO LIII.

De Christi Domini Passione: ac primum de Judæa Traditione, de sudore sanguineo, de pœna verberum, de Coronæ spinæ impositione.

I. Uctuosam hodie scenam oculis vestris obſicio: Christum Dominum patientem, ac tandem Cruci suffixum. Si spectet curiositas, grande spectaculum; si spectet impietas, grande ludibrium; si spectet pietas, grande Myſterium: inquit D. Augustinus. Mihi tamen nullus est animus, in tam amplo, tamque luctuoso argumento attingere universa, quæ difficultatem aliquam pariant: in immensum enim abiret, & scholæ modum proſtra excederet susceptæ de Caristi Myſterii retractatio; sed ea dumtaxat delibabo, Sacra hujus Historiæ capita, quæ Theologicum examen, accuratumque criterium postulare videntur. Ut nimirum in singulis Passionis Dominicæ partibus populares, qui passim invaluerunt errores, vulgi præposteræ opiniones, malenata commenta procul eliminem. Ut enim historia nulla ad vulgi aures frequentius venit, nulla in vulgi ore frequentius sonat; ita nulla frequentioribus erroribus vitata, corruptaque est. In his igitur errores unice depugnabo: cæteris omnibus silentio missis, quæ, aut apud omnes certissime constant, aut cum ad mores instituendos inimicus spectent, Divini Verbi præconibus relinquuntur.

In ea popularium errorum copia, primus, si quid sapio, evellendus est, quem obeundæ Dominicæ passionis proliudium ponit Agridentis Abbatissa, in vitæ synopsi, & de Christi ingressu Jerusalem. Præmissum scilicet Christi Domini cum Virgine Matre colloquium; quo, ut Abbatissa quidem effutit, *Imminentem passionis ac mortis horam Matræ filius denunciavit: nec modo pro salute hominum moriendi licentiam ab ea petiit, verum etiam ut & ipsa ad hominum redemptionem conſerret operam, vehementer est adhortatus*. Egregie scilicet somnium! Nempe ut summum aterai Patris præceptum implet Christus, licentiam rogavit a Virgine Matre: alienamque ad redemptoris officium exequendum, petierit operam; quasi alienis ille præſidiis, in redimendis hominibus, eguisset? Non sic Ecclesiæ Patres, & quotquot de Christi passione, ejusque Virgine Matre digne sentiunt, Ambrosio Doctore atque magistro. *Fugientibus Apollolis, ante Crucem Sabat, & piis spectabat oculis filii vulnera; quia expectabat non pignoris mortem, sed mundi salutem. Aut forte quia cognoverat, per filii mortem, mundi redemptionem aulæ regalibus; etiam sua morte putabat, se aliquid publi-*

eo addituram muneris. Sed Jesus non egebat adjutore, ad redemptionem hominum omnium, qui omnes sine adjutore servavit. Unde & dicit, factus sum sicut homo sine adjutore inter mortuos liber. Suscepit quidem parentis affectum, sed non quaesivit alterius auxilium. Lib. 3. Epist. 25. ad Vercellensem Ecclesiam.

II. Eo ita commentitio rejecto proliquo, a Judaei prodicione ducam exordium, unde acerbissima Christi Domini Passio initium habuit. Nulla aequae vulgi animos occupavit opinio, quam traditionis pretium a Judaeis perfido Apostolo constitutum, fuisse tenuissimum, atque vilissimum: non modo spectata personae tradendae conditione, quae nullo fati poterat pretio aestimari; sed ipsa per sese spectata conditae pecuniae quantitate, quae vix detritis calcis coemendis sufficeret. Ortam falsam illam opinionem existimo, tum quod sapienter in sacris Concionibus Christum triginta denariis a Juda traditum audiant; illosque denarios pariter cum nostris valoris existiment: tum etiam quod illud Amosi Prophetae oraculum sapienter recitatum audiverint, ubi Deus futurae hujus venditionis villitatem, nusquam Judaeis condonandam exprobrans, ita loquitur Cap. 2. Super tribus sceleribus Israel, & super quatuor non convertam eum, pro eo quod vendideris pro argento justum, & pauperem pro calcamentis: hoc est vili pretio, quo vix calcamenta emerentur.

Falsam illam vulgi opinionem brevis, facilisque animadversio emendare potuisset, si vel leviter observassent: hanc ipsam pecuniam Judaei traditori numeratam, in pretium traditionis, a quo emendo sufficere, in publicum peregrinorum Coemeterium, dum hanc ipse falsa poenitentia ductus subinde restituit: Matth. 27. Emerunt ex illis agrum figuli in sepulchrum peregrinorum. Quis enim sibi persuadeat, paucis obolis, curtoque aere agrum figulinum emi potuisse, peregrinis humanis capacem, quorum Ierosolymis infinitus propemodum erat numerus; Judaeis illuc religionis causa undecumque confluentibus? Maxime si quod scribit Hieronymus lib. de locis Hebraicis, veritatem habet: in ipsa nimirum urbe Ierosolyma, fuisse situm agrum illum, ad Australem plagam montis Sion. Id enim agri pretium non medioeriter auget.

Hoc idem populare commentum revincit multo luculentius Matthaei testimonium Cap. 26. At illi constituerunt ei triginta argenteos. Quare ut justa statera adhibita noverimus, quale, & quantum fuerit constitutum traditionis pretium; illud unum scire juvat, quid apud Judaeos Argenteus esset, quantitate valoris. Argenteus apud Judaeos idem mihi fuisse videtur, quod Siclus. Ita quippe definiunt, qui hac nostra aetate de ponderibus, & mensuris scripserunt, Willapandus, Lorinus, Simonius, Maldonatus. Quin etiam patet id ex collatione libri III. Regum cum libro II. Paralipomenon. Siquidem lib. III. Regum Cap. 10. ubi narratur emptio a Salomone facta, cum quadrigarum, tum equorum, distincte dicitur, quadrigam quamlibet sexcentis siclis emptam esse, equum quemlibet centum quinquaginta siclis. Libro autem II. Paralipomenon Cap. 1. ubi hac eadem narratur historia, mutatis vocabulis siclorum in argenteos, quadriga quamlibet emptam dicitur sexcentis argenteis; equus quilibet argenteis centum quinquaginta: nempe pro eodem habetur Argenteus, & Siclus. Pariter lib. II. Regum Cap. 18. cum adolescenti nuntiant, vidisse se Abalonem de quercu pendentem, dixisset Joab: Quare non confodisti eum, & ego dedissem tibi decem argenti siclos: reposuit ille? Si appenderes in manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem manus meas in si-

lum Regis. Scilicet Siclos, & Argenteos pro eodem accipiendos adolescentem, negabat se facturum pro mille, quod Joab pro decem fieri voluisset. Est igitur argenteus idem quod siclus; sin minus monetæ specie, quod affirmare omnino non auzim; at certe valore, ac pretio, quod hic unice quæritur.

Neque refert, ad hujus probationis vim enervandam, quod Flavius Josephus Adolescentis responsum Joabo datum ita referat, ut argenteum duobus siclis æquasse videatur: Pro mille siquidem argenteis in Scriptura notatis, duo siclorum millia, in adolescentis ore ponit. Quæ enim, rogo vos, Josepho fides habenda, ubi deserto Dei verbo repugnat aperte, non modo in adolescentis referendo Responso, verum etiam in Joabi pollicitatione recitanda: qui cum decem duntaxat argenti siclos obtulisset, quinquaginta obtulisse scribitur a Josepho. Quod animadvertens quidam ex militibus Davidis, (Josephus verba sunt) indicavit Joabo: eoque quinquaginta siclos promittente, si illum confoderet, respondit, nec si duo millia daturus esses, facerem hoc. Ut plane factum illud totum, seu ex occitancia, seu ex Scripturarum ignorantia, corrupisse convincatur Hebraeus Historicus.

Hujus rei probationem alteram peto ex Cap. 20. Genesis, ubi Abimelech Saram alloquens: Ecce, inquit, mille argenteos dedi fratri tuo: quod septuaginta Interpretes vertunt, Dedi mille didragmas fratri tuo: idem autem Græce sonat Didragma, ac Siclus Hebraice: propterea quod Siclus dragma duas Hebraicas valore æquet, Atticas vero quatuor. Unde D. Hieronymus, in adoranda Scriptura Sacra Versione, Siclum, Didragmam, & Argenteum pro uno, eodemque millies accipit, quod & ipse in Commentariis ingenue proferitur.

Jam eo semel posito fundamento, Argenteum, sin specie, at certe valore idem esse quod Siclus; consequens est, Christum triginta siclis venditum esse, ex quo triginta argenteis juxta Matthæum venditus est. Siclus porro omnium eruditum æstimatione, qui de ponderibus, & mensuris scripserunt, libellas duas Gallicas pretio æquat, aut certe ad illas accedit proxime: quandoquidem Siclus dragma duas Hebraicas, seu quatuor Atticas pendebat: teste Josepho lib. 3. Antiq. Cap. 9. Siclus nunquam genus est apud Hebraeos, quales sunt terræ drachmi Attici. Christus ergo, ut cuncta concludam, siclis, seu argenteis triginta venditus est; seu, quod in idem redit, Julii Romanis centum & octoginta.

III. Quod itaque triginta denariis Christus venditus communiter dicitur, falsissimum est: cum triginta Argenteos constitutos Matthæus conceptissimis verbis attestetur Cap. 26. Denarius autem, si Hebraicus esset, Argentei, seu Sicli mediam partem pendebat; si Atticus, quartam duntaxat. Amosi vero Prophetia, qua Christus justus, & pauper ab Israele venditus dicitur pro calcamentis, figurata loquendi formula est; ut constituti pretii villitas, spectata maxime rei venditæ dignitate, & excellentia denotetur. Vile quippe pretium, calcamentis pretium Hebraei de more dicunt. Sic apud eundem Amosum Cap. 8. Possideamus pauperes pro calcamentis: hoc est, pro re vili pauperes habemus. Hinc etiam, solvere alicui corrigiam calcamenti, hoc est, vile alicui ministerium prætere.

Idcirco porro de triginta Argenteis, seu Siclis a Judaeis cum Juda proditore conventum est, ut Christus illis traderetur ad mortem: quia vita personæ servilis, qualem illi Christum Dominum repu-

reputabant; triginta siclis secundum legem Mosaicam æstimabatur. Unde Exodi 21. præceptum est, ut si bos cornupeta servum, vel ancillam occiderit; triginta sicli argentei Domino numerentur: quod scilicet tanti, non pluri servi hominis vita æstimaretur. Nec dubito, Judæos ad legem hanc attendisse, dum triginta Siclos, seu Argenteos Judæi proditori constituerunt.

Erit fortasse, qui dicat, Nummorum, quibus Christus a Juda venditus est, unum etiamnum hodie Romæ servari, in Templo Sanctæ Crucis, ut vocant, in Jerusalem; qui vix duos Julios valore æquat. Adeoque triginta Argenteos Judæi constitutos, non fuisse triginta Siclos: cum Siclus unicus ad sex Juliorum valorem accedat. Quasi vero? Probandum in primis esset, triginta Argenteos Judæi constitutos eadem omnino nummorum specie fuisse solutos. Hinc sane recte colligeretur, Argenteos illos Siclorum valorem non æquasse: si, qui nunc Romæ visitur nummus, duos vix Julios valore æquat. At quis id nobis certo definiat, triginta Argenteos eadem specie fuisse solutos proditori; ac non potius multiplicatis inferioribus nummis, integram illi summam fuisse solutam? Nihil igitur inde colligitur in oppositum, est servatum Romæ nummum ex iis unum concedamus esse, qui Juda sunt numerati: quod tamen si negare voluerit, quis mihi certo probaverit? Illud mihi potius discutiat moveat: qui triginta Argenteis ager figulinus emi potuerit, si ad valorem duntaxat Juliorum Romanorum centum sexaginta ascendit summa illa? Sed & Jeremiæ 32. v. 9. pro agri emptione solutos lego septem Stateres, & decem Argenteos: tamen, ut monet D. Hieronymus in Cap. 4. Ezechielis, Siclus Stater sit, hoc est, Dracma quatuor, videlicet Atticæ. Quare ex nostrorum temporum caritate non oportet æstimare ea, quæ antiquorum sunt temporum. Ac verisimile est, triginta Argenteorum pretio emi potuisse agrum figuli, vilem illum, nec nisi cadaveribus sepeliendis idoneum. Sed pergamus ad reliqua.

IV. Agnito conditæ traditionis pacto, Judam inter & Judæos inito, peractaque sub Vesperam ecena, ad mortem obundantem sese Christus accinxit. Ad montem Olivæ, in villam Gethsemani secessit cum intimioribus Apostolis oraturus: eaque in oratione, capit pavore, & tædere, & mestus esse: factusque est sudor ejus sicut gutta sanguinis decurrerunt in terram, ut est apud Matthæum Cap. 27. & Lucam Cap. 22. Qui Christus, alias summe beatus, tristari ac pavere, in mortis appropinquatione potuerit, exponemus alibi: (Exercit. 53.) Qui tamen sudor ejus sanguineus esse potuerit; ut est hoc magnæ disputationis argumentum, paulo distinctius explicandum est.

Non audiendi in primis ii sunt, qui postremam illam, de sanguineo sudore pericopen, ex Luca Evangelio expunctam velint: quod teste Hilario lib. 1. de Trinitate, & Hieronymo lib. 2. Dialogorum contra Pelagianos, in variis cum græcis, tum latinis Codicibus non legatur. Quandoquidem & in melioribus, & numero pluribus extat; & a priscis Ecclesiæ Patribus uti genuina agnita est: Juliano Martyre in Dialogo cum Tryphone Judæo, Irenæo lib. 3. contra Hæreses Cap. 32. Chrysostomo Homil. 84. in Matth. Ammonio Alexandrino in Harmonia Evangelica, Epiphonio Hæresi 69. Augustino lib. 3. de Consensu Evang. Cap. 4. Bernardo Serm. 3. in Dominica Palmarum: Habeturque in vulgata Versione nostra.

Nec ferendi alii, qui lectionem Evangelicam negare cum nolint, extenuant tamen; & Lucam quidem, aut per hyperbolem locutum dicunt; ad tristitia Christi Domini, enatiquæ inde sudoris

acerbitatem exaggerandam: ad eum sane modum, quo qui sicut acerbissimi, sanguinis lacrymas dicuntur emittere: (quæ Theophilacti interpretatio fuit) aut sanguinis similitudinem notasse duntaxat; quod crassus atque concretus, instar sanguinis, sudor esset: (quæ Euthymio sententia stetit) Quæ de causa non dixerit Lucas, factus est sudor ejus sanguinis: sed, factus est sudor ejus, sicut gutta sanguinis: ut non veritas ipsa, sed similitudo sanguinis notaretur. Minus inquam ferendi illi sunt: cum & propria frictamque Lucæ loquendi formulam laudati Patres agnoscant, & verum a Christo Domino per poros emissum sanguinem contestentur. Nec officit Patrum interpretamento usurpata in Evangelio particula sic: quæ non semper sacris in litteris significatum minuit, sed rem ipsam aliunde vagam determinat, ac definit. Vidimus gloriam ejus: gloriam quasi unigeniti a Patre, Joannis 1.

Sed nec iis assentiendum arbitror, qui sudorem illum sanguineum miraculo tribuant; quem verius præ ingenti Christi pavore, tristitia, morore concepto, secundum naturam fluxisse, persufuram habeo. Docet siquidem Aristoteles lib. 7. Historiæ Animalium Cap. 16. & lib. 3. de partibus animalium Cap. 5. fieri naturaliter posse, ac re ipsa nonnumquam accidere, ut exhausto per sudorem ingentem humore aëque, sanguis ipse per poros effluat. Suadetque ratio Philosophica. Cum enim sudor nihil sit aliud, quam pars sanguinis aquosa, quæ venis inest; in iis vero, qui molli ac tenera sunt Corporis habitudine, qualem Christum fuisse credimus, subtilior rariorque sit sanguis; fieri naturaliter potest, ut sudoris loco, aut certe exhausto sudore, sanguis effluat. Ac quemadmodum magnitudo passionis sudorem pellit violentius; ita si vehemens sit passio, sudorisque materia deficiat, contingere naturaliter potest, ut sanguinem subtiliorem præferim ac rariorem expellat. Quod Lutetia Parisiorum, ætate sua contigisse refert Joannes Maldonatus: hominem scilicet robustum ac bene valentem, audita in se capitali sententia, sudore sanguineo fuisse persufum. Quæ perinde ratione, natura vi effrans concupiscentiæ coacta, deficiente in propriis organis semine, sanguinem fundit: & deficiente lacte, si quis ubera nimium emungit, sanguinem elicit.

Nihil est ergo, quod sanguineum Christi sudorem, vehementi illo pavore, tristitia, morore causatum, miraculo tribuamus; qui secundum naturam potuit evenire. Si qui ergo Patres, ut Hilarius lib. 10. de Trinitate, præter, ac etiam contra naturam dixerit sudorem illum; causam spectant potius, quam effectum posita causa. Quatenus timor ille ingens, pavor, atque tristitia, e quibus natus est sudor ille, non ex nativa imbecillitate & impotentia originem habuerunt; sed ex libera voluntate, qua eos in se ipsa permisit & excitavit affectus: (fuerunt enim, ut schola loquitur; in Christo Domino non tam passiones, quam propassiones;) quamquam positis semel in Christo iis affectibus vehementibus, sudor ille sanguineus naturaliter sequi potuerit. Aut etiam, supernaturaliter dixerit Patres, ac prodigialem, sanguine sudoris excessum; qui talis tantusque fuit, ut sanguinis gutta in terram decurrerint: non ipsum absolute sudorem sanguineum, qui secundum naturam esse potuit. At de his nimis fortasse multa.

V. Deductus ex Villa Gethsemani Ierosolymam Christus, primam omnium subiit verberum penam, quam flagellationem de more vocant. Hanc Christo Domino Pilatus inflixit, non uti delicto debitam, sed ad correctionem, ut aiebat: nempe

at eum hac via furori Judæorum eriperet, emendatumque dimitteret. Cum enim sæpius protektatus esset Pilatus, se nullam in eo mortis causam invenire, Judæique innocentis sanguinem sitientes nihilofcius suclamarent, ut crucifigeretur; expirari tandem voluit, an inflicta Christo verberum pœna satiarentur. Sperabat enim, eos supplicii hujus atrocitate commotos, non ultra mortem ejus expeturos: est res aliter cesserit. Constat id totum ex Lucæ Evangelio Cap. 23.

Pœna hujus atrocissima Christo inflicta occasione, multa conficta video, & pro arbitrio excogitata, de Licloribus Christum cadentibus, de plagis impostis, de instrumentis, aliisve modis, quibus laniena illa perfecta est: de quibus tamen in Evangelio, & in Ecclesiæ Patribus altissimum silentium est. Certe nihil simplicius verbis Evangelicis: *Apprehendit Pilatus Jesum, & flagellavit*, inquit Joannes Cap. 19. ac nihil ultra præterea. *Jesum flagellatum tradidit eis*, inquit Matthæus Cap. 26. ac nihil amplius. Marcus demum: *Tradidit Jesum flagellis casum*, Cap. 15. Quæcumque ergo a piis contemplatoribus ex proprio cerebro adjiciuntur, incerta, dubia, ac etiam magna ex parte falsa sunt.

Liclorum in primis Christum cadentes bini, terni, quaterni feni quandoque finguntur; Licloribus nostris fabulam penicillo explicantibus. Imo legi, qui Christum a sexaginta Licloribus casum scripserint, Perperam sane, & ignoranter. Pilatum enim Tiberii Imperatoris administrum judicium Romano more tulisse, & verberum pœnam in dixisse, testatur S. Hieronymus, suadetque ratio ipsa. Ex jure autem, & more Romano, Liclor unicus totum illud ferale ministerium obibat. Nota sunt hac in parte Romanorum solemnia: *I liclor, colliga manus, caput obnubita, virgine cadita*. Quin etiam apud Judæos Liclor unicus cadendi officio defungebatur: ut ex libro *Misna* ostendit Buxtorfius in Synagoga Judaica Cap. 20.

VI. Hinc intelligere facile est, commentitium & illud esse, quod de inflictorum vulnerum numero narratur a multis: illum scilicet, ad quinque mille quadringenta septuaginta quinque ascendisse: Ut *Lodulphus de Vita Christi* part. 2. Cap. 58. commentus est: aut flagris mille quadringentis sexaginta stessie verberationem, ut *Lanspergio* Homilia 50. *de passione* visum fuit: aut flagris stessie quinque mille trecentis septuaginta quinque, ut *Eckio de Passione Christi* articulo 4. probatur magis: aut etiam flagris quinque mille centum & quindecim, fuisse perfectam, quod *Agriensis* Abbatissa sibi per visum afferit patefactum.

Ecquo tandem modo? Si enim Liclor unicus cruento illo ministerio defungebatur, repugnat plane, virum unicum tot verbera brevi spatio dedisse. Ut sileam, nondum tunc, dum casus est Christus, Pilatum illum tradidisse voluntati Judæorum, ut in illum pro arbitrio sævirent; quod fecit postea: sed flagellis cadendum indixisse duntaxat, ad correctionem, ut aiebat: *Luc. 23. v. 16.* Verberum autem numerum apud Romanos a Judice fuisse definitum, non relictum Liclorum arbitrio. Certe si in viro Judæo plendendo aliqua Judaicarum legum ratio est habita, quadringenta verbera non excessit supplicium illud: nec plura a Pilato Judæi, tamen cruceles, postulare poterant, ut ad illorum fatietatem Christus Dominus caderetur. Lex quæpiet in Deuteronomio lata est *Cap. 25. v. 3.* *Si cum, qui peccaverit, dignum videtur plagis, prosternent eum, & coram se facient verberari. Pro mensura peccati erit plagarum modus: ita duntaxat, ut quadragenarium numerum non excedat.* Quam legem etiam Christi ætate, ac deinceps servasse Judæos, testis est Paulus Aposto-

lus in Epistola II. ad Corinthios Cap. 11. ubi se quinque a Judæis flagellis casum scribit, ita tamen, ut infra quadraginta plagas feterit casio quælibet: *A Judæis quinque quadragenas, una minus accepi.* Veriti enim Judæi, ne Liclorum in ipso verberandi impetu constitutum a lege verberum numerum excederent, plagam unam demere soliti erant. Quæ consuetudo ad Seniorum traditiones est referenda.

Nam ea Deuteronomii lex, ac etiam inducta a Senioribus consuetudo, in Christo cadendo servata sit, ut in Paulo, nolim hic temere definire; imo non fuisse servatas verisimilius existimo: ita tamen ut ad millena, eaque plura, quod vulgo creditur, verbera, non ascenderit flagellatio; nullaque tot revelationibus secum invicem pugnantibus habenda sit fides. Prudens summoque Theologo dignum Francisci Suarezii judicium, ea in re & sequor, & probo. De numero plagarum nihil invenio ad antiquis Patribus scriptum: multi tamen pii scriptores præsertim ex recentioribus affirmant, fuisse ultra quinque millia, quod aliquibus videtur incredibile. Quia nec Judæi, nec Romani consueverant ita flagellare: & quia tot verbera sufficerent ad necandum hominem. Cum ergo Pilatus flagellaret Christum, ne illum necaret, non est verisimile permisisse eum tam atrociter verberari. Et licet *Lodulphus Carthusianus in vita Christi 2. par. Cap. 58.* & *Eckius in Sermone de passione Domini, & alii referant, hoc fuisse revelationem cuidam femine; tamen neque hujusmodi revelationes faminarum cogunt nas, ut eas veras esse credamus: neque ibi dicitur plagas flagellorum, sed vulnera passionis eum numerum excessisse, Itaque hæc res incerta est. Unde licet verisimilius sit, flagella multum excessisse quadragenarium numerum; propter rationes adductas, & quia Christus non more Judæorum, sed Romanorum flagellatus est: tamen quantum fuerit ille numerus, affirmare non possumus: quia neque in Evangelio habetur, neque in Scriptura, neque in sanctis Patribus traditus est. In Comment. in 3. par. quæst. 46. Disp. 35. Sect. 2.*

Christum mitius multo flagellatum æstimare par est, si quod *Beda* commentatus est, veri speciem haberet: illum scilicet non a Licloribus atque ministris, sed ab ipso Pilato fuisse casum. Cum enim in Christum suapte genio propensus esset, quem modis omnibus liberare tentaverat, mitiori manu flagra dedisset. *Jesum*, inquit ille in Caput Marci 15. *flagellatus non ab alio, quam ab ipso Pilato intelligendum est. Scribit namque aperte Joannes, apprehendit Pilatus Jesum, & flagellavit.* At quis credat, Virum nobilem, Judææ Præsidem, vile & infimum ministerium, præter Romanorum omniumque gentium consuetudinem, obiisse? Neque id recitata Joannis verba significant: cum ea inferre supplicia dicantur Iudices, quæ lata sententia, a Ministris atque Licloribus inferri jubent. Uti *Herodes* Ioanni Baptistæ caput propria manu amputasse censendus est, sed *misso spiculatori decolari jussisse*, quamquam de se subinde diceret: *Quem ego decolavi Joannem, hic a mortuis resurrexit.* Marci 6.

VII. Turpissimum hallucinantur, ac in ipsum Evangelii contextum peccant, qui inflicta Christo Domino verberum pœnam obtundunt, virgis spinæ, & catenis aduncis: nempe ut supplicii hujus immanitatem exaggerent. Immane fuisse non negaverim, at quantum finit Evangelii veritas, Marcus autem Christum flagellis casum asserit, non virgis spinæ, non catenis: vocabula ipsa Græca *σπινθη*, & *μαστιχ*, quæ apud Matthæum, Marcum, & Lucam occurrunt, casionem notant, quæ flagellis, & nodosis funiculis perficitur. Cæterum pœna hæc a Pilato viro Romano inflicta est.

est Christo, quia apud Romanos vile fervorum supplicium erat: cum contra casio per virgas, liberorum supplicium esset: *ff. de penis, l. Servorum, l. Porcia, & Lege Sempronæ.*

Aberrant demum turpissime, qui Christum secundo flagellis casum obtundunt, ex quo nempe ad Crucem subinde damnatus fuit, pro more scilicet Cruciariorum omnium. Quamvis enim ex fori Romani formulis, ea etiam ætate servari solitis, Cruciarum antea caderentur; quia tamen in Christo Domino, jussu Pilati rabidam plebem delinire satagentis, præcesserat emendatoria flagellatio; non ultra in illum eo supplicio sævitum est. Quod inde patet maxime, quia ea flagellationis formula, ubi occurreret, in ipsa ad Crucem deductione, vel sub ipsam Crucifixionem, atque in ejus perficiendo momento servabatur, ut scribit *Lactantius* lib. 2. *Instit.* Cap. 8. quo tempore nihil hujusmodi tentatum in Christum referunt Evangeliorum Scriptores; totamque passionis scenam in aliis occupatam repræsentant.

Christum ad columnam casum agnoscunt Patres, *Gregorius Nazianzenus* Orat. 1. in *Julianum*, *S. Hieronymus* Epist. 27. ad *Marcellam*, *S. Paulinus* Epist. 34. Ac sic quidem more Romano solebat fieri: *Plautus* in *Bacch.* Act. 4. scena 7.

--- adducite hunc

Inno, atque adstringite ad columnam fortiter. Judæi contra, prostratos flagellabant, *Deuter. 25. v. 3.* *Si cum, qui peccaverit, dignum viderint, plagis, prosternent eum, & coram se facient verberari.* Columnam hæc a se conspectam ait *D. Hieronymus* Epist. ad *Eustochium*, Christi sanguine cruentatam: quam oblongam fuisse necesse est, utpote quæ *Sacram* *Edem* olim sustineret. Romæ tamen in *Templo S. Prædixis* Martyris, brevis admodum Columna visitur; quam illam fuisse ajunt, cui Christus est alligatus. Et hæc quidem ad supplicium inferendum accommodatio, quæ tantum assurgat ad nates. Sic enim totum pene corpus flagellis patet, aut virgis.

VIII. Verberibus successit proxime Coronæ spinæ impositio. tormentum, ut arbitror, inter omnia immanissimum; a Pilato quidem ex sententia non indictum; nulla enim, seu Romanorum, seu Judæorum lege supplicium hujusmodi fontibus, ac reis infligebatur: sed militari licentia, ac feritate excogitatum. Cum enim Christum militibus illudendum Pilatus tradidisset; ii, ut quasi in scena Regem ex ludibrio repræsentarent, qui se Regem exhibuerat Judæorum; Coronam spinæ in capite, sceptrum arundineum in dextera posuerunt, clamideque coccinea superinduerunt: geminum & ludibrium, & crudelitatis spectaculum exhibentes.

Neque est, quod ex ea militari licentia, quæ Christum, præter omnes Romani ac Judaici fori formulas, spinis coronatur, argumentum quis arripiat, ad ea vellicanda, quæ de plagis illi in flagellatione impositis, diximus paulo ante, vulgari opinione longe paucioribus. Non est inquam, cur quibus nobis objiciat: si tam atrox & immane supplicium, nulla lege fontibus constitutum, nulla Judicis sententia decretum, sponte sua, feratque licentia, Milites Christo Domino impositere; quid ni quoque, contra legum omnium formulas, contra Judæorum ac Romanorum mores, in reos servari solitos, flagra pro arbitrio dedere quotquot ad fatietatem vellent Lictores; ut ad multa millia, quod vulgo dicitur, ascenderit verberum numerus? Verum dispar longe est Coronæ spinæ Christo impositæ, & datorum verberum ratio. Pœna quippe verberum supplicii genus erat, utraque tum Romana tum Judaica *Serry* Tom. III.

ge sancitum, & a Pilato Judææ Præside Christo Domino indictum: Quæ vero leges supplicium hujusmodi decernebant, verberum quoque numerum a Judice definiendum statuebant. At coronæ impositio, tamen per se se atrox atque cruenta, supplicii genus non erat, aliqua lege decretum, ad fontes damnandos; nec supplicii titulo a Militibus facta est, sed ad ludibrium. Quare ex quo Christus illis illudendus est traditus, in eorum arbitrio tota illa tragedia relicta est; quia nihil ea de re leges statuebant, ac decernebant.

De Corona illa spinæ duplicem errorem fat late diffeminatum observo, cum circa formam, tum circa materiam. Vulgo enim existimatur, Coronam ex spinis rhamni, aut rubi fuisse contextam: ac vitæ instar frontem, ac tempora circumxisse. Verum non est ita; sed ex junctorum marinorum acuminibus, quasi longissimis spinis contexta erat: (quod *Tolerus*, & *Pererius* ante me observarunt) quorum quidem junctorum acumen adeo subtile simul, & solidum est, ut quodcumque densissimum corium, non secus ac subula facillime penetrat. Nec frontem tantum, ac tempora vitæ instar corona cingebat; sed instar galieri, & pilei cranium etiam integrum, totamque superiorem capitis partem obvolvbat. Fidenter, ac etiam aucter ea de re pronunciant Galli plerique, ac veluti testes oculati; qui de proximo viderunt Parisiis Coronam illam sacrosanctam, a sanctissimo Rege nostro Ludovico IX. ingenti ære e barbarorum manibus redemptam, ac Parisiis delatam, ubi summa nunc religione colitur. Pilei formam, & junctorum marinorum materiam observarunt: idemque Parisini omnes, si necesse fuerit, testabuntur. Addiderim, quantum ad formam attinet, Evangelistas omnes *Corinæ* nomen constantiter retinere: qui autem exactas, ac pressas loquendi formulas norunt, id *Coronam* inter, & *Diadema* discriminis ponunt; quod *Diadema* frontem tantum, ac tempora cingeret, Corona totum Caput obtegeret.

Interea certum inde criterium habemus, unde de tam multis, quæ passim in variis locis ad publicum Fidelium cultum asservantur, Dominicæ Coronæ Spinis judicium feramus. Quæ ex juncis marinis fuerint, verè illa, atque germanæ esse possunt: quæ vero ex rhamnis, dumis, rubis, sentibus fuerint, quales profecto multas vidimus, eæ suppositæ omnino sunt.

Christum illudum tunc a Militibus, percussum arundine caput, alapis casum, spitis aspersum memorat Evangelium. Avulsos illi capillos, & barbam addunt aliqui recentiores, & ex *Divi Bernardi* *Tractatu de Passione* adstruere satagunt. Immerito tamen, cum & sileat Evangelium, & fideant Patres, & Bernardi re ipsa non sit, qui ejus vulgatus est nomine, *Tractatus de Passione Domini*.

EXERCITATIO LIV.

De mortis Sententia in Christum lata; de Crucis gestatione, deque illius forma, & altitudine, necnon de Veronica vulgo dicta.

I. Hæcenus velut in Dominicæ Passionis proliis hæsimus: nunc ad rei caput veniendum. Quæcumque enim de traditione, ac venditione, de pœna verberum, de Coronæ spinæ impositione fuit dicta, ad id collineant unice, ut Christum ad Crucem damnatum, eidemque affixum intelligamus; in qua, & sacrificium consummavit suum, & nostræ Redemptiois opus absolvit. Id supplicii genus ex Romanorum, aliorumque Gentilium more fuit, non Judæorum, a

quorum preiis moribus abhorrebat, fontes Cruci suffigere. Quatuor enim duntaxat apud illos erant suppliciorum genera: lapidatio, vivicomburium, strangulatio, seu occisio per laqueum; decolatio, seu occisio per gladium: quamquam & hæc ultima rarior apud Judæos pœna esset. Quare quod mandat Deuteronomii 21. v. 22. *Quando peccaverit homo, quod pleneendum est, & adjudicatus morti appensus fuerit in patibulo, non permanebit cadaver eius in ligno: non de Cruce, qualis postmodum Romanis in usu fuit, dictum est; sed de furca, in qua quis laqueo interimitur.* Quæ etiam ex veteri Testamento proferuntur Crucifixionis exempla, aliena plane sunt, & peregrina. Sic Rex Hai jubente Josue patibulo, seu Cruce suspensus dicitur, Josue 8. v. 29. & quinque Reges Chananeorum super quinque stipites suspensi pariter, Cap. 10. v. 26. at non pro more Judæicæ Gentis, e qua erat Josue; sed pro more Nationum illarum barbararum, e quibus erant Reges illi, supplicio sunt affecti. Septem quoque filii Saul Crucifixi leguntur II. Reg. Cap. 11. v. 9. Verum non a Judæis, sed a Gabaonitis, qui non erant de filiis Israel, sed reliquia Anortheorum. Tameñ & lignum omne, in quo quis lato Judicio patitur, & cruciatur, crux perinde dicitur, & patibulum. Legitur quidem apud Josephum, *Alexandrum Joannis Hircani filium octingentos captivos in media Civitate crucifixisse*, lib. 1. de Bello Jud. Cap. 3. At ætate temporum factum id est, qua Judæi a Græcis subjugati, illorum in supplicis inferendis, mores induerant: anno scilicet, ante Christum duntaxat septuagesimo octavo.

Blasphemi in Deum lapidibus obrui jubebantur a Moyse, Levit. Cap. 24. v. 16. *Qui blasphemaverit nomen Domini, morte morietur: lapidibus obruent illum omnis multitudo: sive ille Civis, sive peregrinus fuerit.* Quare cum Judæi Christum uti blasphemum ad mortem expeterent, juxta quod aiebant Joan. 19. v. 7. *Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia Filius Dei se fecit: lapidibus ex Judaici Fori formulis appetendus erat.* At Pilato viro Romano sententiam ferente, Cruci juxta Romæ formulas suffigi iussus est. Nec alia de Causa, ut suffigeretur, Judæi postularunt, quam quod Romanis subessent Imperatoribus, Forique Romani formulas sectari cogerentur. Romana enim lex erat, *Auctores seditionis, aut tumultus, pro qualitate dignitate, in crucem tolli, aut bestis objici*, lib. 5. Tit. 11. cujus criminis reus, Christus Dominus a perfidis Judæis obtendebatur: *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dare Cesaris, & dicentem se Christum regem esse.* Lucæ 23. Quam porro Romanorum judicio infame esset, & atrox Crucis supplicium, ad quod damnatus est Christus, ex Cicerone Oratione in Verrem habemus: *Facinus est vincire Cruem Romanam, scelus verberare, prope parricidium necare; quid dicam in Cruce tollere? Verbo satis digno, res tam nefaria exprimi nullatenus potest.*

Miror, nonnullos Divi Chrysothomi Orat. de Eleemosina; & Laetantii lib. 4. Inst. Cap. 8. testimonio nixos existimasse, Pilatum a ferenda in Christum mortis sententia temperasse, eundemque Judæorum arbitrio simpliciter permisisse. Repugnat quippe gestorum series. Dicente siquidem Judæis Pilato. *Accipite eum vos, & secundum legem vestram judicate eum;* (quo verbo judicium illis relinquere videbatur) detreclarunt illi, dato responso: *Non licet nobis interficere quemquam;* seu adeptam sibi a Romanis judiciorum capitalium potestatem agnoscerent; ut aliquibus visum est: seu simulata solemnitate Paschalis religione, mor-

tis sententiam ferre ipsimet nollent, sed ab alio ferri peroptarent. Idcirco sedens pro Tribunali Pilatus, *adjudicavit fieri petitionem illorum, ut scribit Lucas Cap. 23. v. 24.* hoc est, Cruci Jesum suffigendum pronuntiavit, prout illi violentis, ac pertinacibus clamoribus postulabant. Quæ Sanctorum Patrum communis interpretatio est. Hinc & Jesus sententia in se ipsum a viro Romano ferenda præficius: *Filius hominis, inquit Lucæ 18. v. 32. tradatur gentibus ad crucifigendum.* Romanus quoque Historicus Tacitus in Annalibus: *Auctor, inquit, hujus nominis Christus, qui Tiberio imperitante per Procuratorem Pontium Pilatum, supplicio affectus est.*

Accedit, quod Christi causa mixti fori esset, Romani scilicet, & Judaici: Romani inquam, cum a Judæis tanquam Regiæ ac Cæsareæ majestatis reus accusaretur: Lucæ 23. v. 2. *Cœperunt illum accusare dicentes: hunc vidimus subvertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dare Cesaris, & dicentem se Christum regem esse.* Judaici vero, utpote qui uti blasphemus, legique Mosai-cæ violator tradebatur: Joannis 19. *Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit.* Ubi porro de delicto mixti fori quæstio vertitur, quis nesciat, causam in superiori foro esse tractandam: atque ita ex Pilati potius, quam ex Sinagoga sententiam, Christum fuisse judicandum? Qui idcirco eam mortis causam affigi in titulo iussit, cujus cognitio ad ipsius forum maxime pertineret: quod scilicet regiam dignitatem affectasset: *Jesus Nazarenus Rex Judæorum.*

Hanc Pilati sententiam de tabella recitatam, exhibent aliqui; ac in illis maxime Agriensis Abbatissa; sicut admodum ac prolixam, quæ paginam integram impleat, singula criminatiois capita complexam; inferendi supplicii formulas omnes, singulaque capitalis animadversionis adjuncta, accurrate distincteque decernentem; adhuc autem adscriptam in calce diem 25. Martii, annumque a mundi creatione 5233. quin & Judicis nomen ultimo appictum: *Pontius Pilatus Index & Gubernator Galilææ inferioris pro Romano Imperio, qui supra manu propria.* Puto ad imperitiam viliſſimæ plebeculæ curiositatem excitandam. Quorquot enim vel mediocriter sapiunt, ex prima descripti exempli lectione satis intelligunt, quam immaniter a Romanorum Judicium stilo utriusque abhorreat; qui gravi brevique formula, capitæ sententiam dabant: *Tivium gladio peti. . . laqueo suspendi. . . Cruci affigi. . . Virgis caedi placet:* aut quid simile. Nec decretis ex tabella recitatis chryrographum addebant, diemve adscribebant aut annum. Nec, si forte adscribendi fuissent, eam diem annorumve computandorum rationem Romani tenebant. Quæ omnia vulgaræ sententiæ fabricatorum insulsiorem ostendunt.

Alteram latæ a Pilato sententiæ formulam paulo breviorē exhibet Adrichomius, haud ita a Romanorum formulis abhorrentem, in Descriptione Ierolymæ: *Jesum Nazarenum subvertentem gentem, contemptorem Cesaris, & falsum Messiam, ut majorum suæ gentis testimonio probatum est, ducte ad communis supplicii locum; & cum ludibrio regie Majestatis, in medio duorum laterum cruci affigite. I. Licet, expedi cruce.* Nec tamen adducor, ut eam sententiæ formulam, genuinam agnoscam. Tum quod Christum, ad regie majestatis ludibrium perferendum, damnare videatur; quo tamen ludibrio, ante latam mortis sententiam, Christus esse habitus, dum illi militari licentia ac feritate, corona spinea vultu imposita, sceptrum arundineum in manus traditum, purpurea vestis circumposita. Tum quod minus verosimile sit, Pi-

latum, Jesum nostrum, uti falsum Messiam, suorum testimonio convictum, ad crucem damnasse; (qua de re, nulla distincte, in illius tractatione, quæstio est habita) nihil vero, de arrogato sibi Regis titulo pronuntiasset: qui hanc unam latæ sententiæ causam, cruci desuper inscribi voluit, *Jesus Nazarenus Rex Judæorum.*

II. Damnatus igitur ad Crucem Christus, supplicium gestare suum iussus est. Ea enim erat juris Romani formula, ut apud Plutarchum videre est, lib. de sera Numinis vindicta: *Pro summe reis & infamibus.* Alias enim jam stabat erecta crux, dum causa diceretur, suumque cruciarium expectabat: Cicero lib. 5, in Verrem: *In campo Martio cruce ad civium supplicium desiggi, & consitui jubet.* Crucem, donec de civitate exirent, Christum humeris gestasse fuis, notat Joannes Cap. 19. at ut erant ejus exhaustæ vires, partim ob tolerata priora supplicia, partim ob crebras tota nocte, totoque mane peractas discursiones; statim atque extra civitatem ventum est, *Simonem quemdam hominem Cyrenæum angariarum, ut rolleret Crucem ejus:* Matthæi 27. Quis Simon ille fuerit, incertum est. Cyrenæus, seu Cyrene natus dicitur a Matthæo: at triplex Cyrene cum esset, una in Lybia, altera in Syria, tertia in Cypro; ex qua fuerit, ignoratur. Gentilem illum fuisse, plerique Patres existimant; S. Hilarius, S. Ambrosius, S. Leo, Venerabilis Beda, atque in eo ipso magnum Mysterium ponunt; quasi significatum eo fuerit, fore ut, non creditibus Judæis, Gentilis Christi crucem amplecteretur. Hunc tamen Judæum plerique recentiores existimant; haud ita futili coniectura: tum quod a Marco fuisse dicitur *Pater Alexandri, & Rufi Christi Domini Discipulorum,* quorum in Epistolis Pauli mentio fit: tum quod prædia, & possessiones prope Ierolymam habuisse videatur: quæ Judæorum duntaxat erant: unde dicitur, *venisse de villa, seu ex agro, ut haberetur in Textu Græco.*

Utrumque tamen se res habeat, Simonem hunc una cum Jesu sociis humeris Crucem gestasse, non vulgi modo, sed & virorum non imperitorum error est. Natum inde errorem arbitror, quod Lucas Cap. 23. dicit, *Milites imposuisse Simoni Cyrenæo crucem portare post Jesum:* hinc quippe æstimatum est, ambos fatale lignum sociis portasse humeris; Christo præeunte, & partem superiorē ferente, sequente Simone, & partem inferiorem bajulante: ut pro more suo Pictores effingunt. Verum reclamant Ecclesie Patres, Origenes in Matth. Cap. 25. S. Athanasius Serm. de Passione, S. Hieronymus in Cap. 27. Matth., S. Augustinus lib. 3. de consensu Evang. Cap. 10. S. Leo Magnus Serm. 8. de Passione, Beda, Theophilactus, Euthymius: qui crucem ex uno in alterum translantem referunt, Christumque onere liberum prævisse, Simonem vero solum eodem illo onustum processisse, apertissime docent. Quin & hoc ipsum insinuant Matthæus, & Marcus, dum Simonem adactum ajunt, *ut rolleret Crucem ejus.* In Textu enim Græco est verbum *αγορα*, quod non solum oneris latorem, ut ita loquar, sed oneris ex uno in alterum translationem significat.

Non morabor hic insanum Basilidis, & Marcionis errorem, qui, si qua fides est Tertulliano lib. de Præscriptionibus Cap. 26. D. Augustino lib. de Hæresibus, Eusebio lib. 4. Historiæ Eccles. Cap. 8. contendebant Christum Dominum, Ligno Crucis in Simonem translato, ita Judæorum oculos pertrinxisse, ut sese inde subduxerit, & evauserit: unde effectum sit, ut Judæi crucifigentes Simonem, Christum crucifigere sint arbitrati. Hæc, inquam, non moror; Serry Tom. III.

adeo enim insulsa sunt, ut confutatione non egeant.

III. Unum tamen ex ea Dominicæ Crucis gestatione colligere præstat, ad fabulosa de illius proceritate traditionis confutationem. Si enim homo micis, Christus primum ex multa jam sanguinis missione debilitatus, tum Simona de via fessus, saluterum Lignum bajulavit, susulitque; qui fieri potuit, ut illius quidem longitudo ad quindecim pedes, latitudo ad octo, uti fertur, ascenderet: maxime si quercus fuit, arbor utique præ cæteris gravis, & ponderosa? Et quidem Cruces eminentiores aliquando fuisse, nil dubito: verum ex eminentioris status, atque fortunæ viris, si quando eo supplicio necandi essent, parabantur: quod prudenter observat Baronius in notis ad diem 7. Aprilis: qualem profecto nec Judæi, nec Romani Christum nostrum habebant, sed fabrum, & fabri filium. Sunt eminentiorum hujusmodi Crucium exempla complura, at non nisi pro summis, & eminentibus viris: lib. Elther Cap. 6. & 7. pro Amane: apud Justinum lib. 18. Hist. pro Catalo: apud Svetonium in Galba Cap. 9. pro Cive Romano: apud Valerium Maximum lib. 6. Cap. 9. pro Tyranno Polycrate. Quæ perinde ratione Imperator Augustus. Erotem suum in Egypto Procuratorem, malonavis suffigi iussit; de quo Plutarchus in Apophtegmate. Humiles vero Cruces humilibus parabantur; adeo ferarum quadrupedum moribus suffigi quandoque patenter: ut est apud Marti-lem, lib. 1. Epigr. de Laureolo, & apud Eusebium lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ Cap. 1. de Sancta Blandina Martyre. Accedit, quod titulum in summo Crucis affixum prætereuntis commode legerent, referente Joanne Cap. 19. Evangelii v. 20. Is autem, ut erat tribus linguis incisus, Hebraica, Græca, & Latina; ac in tabella quidem non admodum ampla, qualis etiamnum Romæ visitur, & characteribus haud ita magnis; vix, ac ne vix quidem legi potuisset, si proceræ quindecim pedum Cruci suppositus esset. At de his satis.

IV. Christo ad Calvariæ locum ita pergenti, turbam multam comitum secisse, narrat Lucas Cap. 23. præsertim vero mulierum plangentium, & lamentantium; quibus ille dixerit, ut non super se, sed super filios suos fletent; qui ad multas angustias erant adigendi. Quanam pie illa, ac religiosæ mulieres fuerint, quidve officii Christo præstiterint, tacet Evangelium. Fertur tamen, in iis unam extitisse, *Veronicam* nomine; quæ sudarium Christo exhibens, ut faciem sudore, & sanguine madentem abstergeret; hoc idem ab illo confestim restitutum acceperit, impressa vultus ipsius effigie insignitum. Audacior fortasse videatur, si Historiam illam rotam rejiciam, & extulsem. Dicam tamen simpliciter, quid rei sit, ut de ea judicium quisque suum ferre possit.

Silentium facti hujus altissimum est, non modo in Evangelio, verum etiam apud omnes Ecclesie Patres, veteresque Historiæ Ecclesiasticæ Tractatores, imo & apud omnes mediæ ætatis Scriptores. Primus omnium eam nobis Historiam prodidit Marianus Scotus in Chronico, Auctor lubricæ fidei, eruditionis exigua, recentis ætatis: quippe qui cadente duntaxat undecimo sæculo scripsit. Laudat ille quidem Methodium quemdam, ex quo suam illam Historiam hauserit: at quis ille, cujusvæ ætatis fuerit, ignoratur. Certe non fuisse illum Magnum Methodium Tyrionum Episcopum, res illa probat vel maxime, quod nihil hujusmodi in ejus Scriptis legere sit: fabulose ex suo illo Methodio venditæ Scotus, Bb 2